

Werk

Titel: Varia

Autor: Haupt, M.

Ort: Berlin

Jahr: 1871

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098_0005 | log28

Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

✉ info@digizeitschriften.de

VARIA.

LXVIII. Etymologicum magnum p. 170 47 αὐρόσχας, ἡ ἄμπελος. μέμνηται Παρθένιος ἐν Ἡρακλεῖ, “αὐρόσχάδα βότρυνν Ἰκαριωνίης.” dixit de his Meinekius in Analectis Alexandrinis p. 273. mihi emendatione simplicissima scribendum videtur

αὐρόσχάδα βότρυνν

Ἰκαριωνίης.

Penelopae patrem Apollodorus alias ut ceteri Ἰκάριον dicit, sed in 43 et 51 Ἰκαρίων, idemque fieri potuisse in patre Erigonae non est dubium. accedere igitur videtur Ἰκαριωνίη ad eas patronymicorum formas de quibus post Valckenarium Naekius Opusc. t. II p. 44 dixit. a quo quod adfertur Neptuniae delendum est: nam olim Catullo suum reddidi Nereine, neque id a librariis prorsus oblitatum erat. nihilo tamen minus nuper extitit qui nomen inauditum et hybridum et a Catulli carmine ipsa significatione alienum nugatorie defenderet. sed Parthenium Meinekius iure non credidit vitem vel uam dixisse Erigonae, cui potius odio illae fuerint ex fabulae ratione. eis quae propterea attulit Nonni addo versus XLVII 256 ss., Ζεὺς δὲ πατήρ ἐλέαιρεν, ἐν ἀστερόεντι δὲ κύκλῳ Ἡριγόνην στήριξε λεοντείῳ παρὰ νάτῳ. Παρθενικῇ δ' ἄγρανδος ἔχει στάχνη· οὐ γάρ ἀείρειν Ἡθελεν οἴνοπα βότρυνν, ἐοῦ γενέταο φονῆα. itaque ruto sane grammaticum in excerptis Parthenii verbis fuisse negligentiorem atque omisisse quod necessario erat addendum. potest autem Parthenius huiusmodi aliquid scripsisse, μίσημ' αὐρόσχάδα βότρυνν Ἰκαριωνίης.

LXIX. Dionysius Halicarnassensis in Excerptis Ambrosianis t. IV p. 269 K. τὸ μὲν ἄπορον πλῆθος, φῶ καλῶν καὶ δικαίων φροντὶς ἦν οὐδεμία, παραχρονοσθὲν ὑπὸ Σαυνίτου τινὸς εἰς τὸ αὐτὸ συνέρχεται. καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἐπὶ τοῖς ὕρεσιν ἄγρανδον καὶ

πλείονα τὸν βίον εἶχεν, ἐπεὶ δὲ πλεῖον ἥδη καὶ ἀξιόμαχον ἔδοκει γεγονέναι, πόλιν ἐχνοῦν καταλαμβάνεται, διθεν δρμώμενον ἐληῖζετο (immo ἐλῆζετο) πᾶσαν τὴν κύκλῳ χώραν. nihil est καὶ πλείονα quod post ἄγραν λον scriptum est: sed neque Struvii καὶ μείονα laudabile est neque magis probari potest quod Kiesslingio videtur fortasse latere καὶ λιτόν. cum autem ἄγραν λον verbum sit poetis potius quam scriptoribus usitatum neque dubitari posse videatur quin Dionysius servato eodem dicendi colore cum tam insigni voce aliam coniunxerit haud dissimilem, scripsisse eum conicio ἄγραν λον καὶ ἀλήμονα τὸν βίον εἶχεν. scriptor Cynici Luciano attributi cap. 1 aliasque apud Suidan in ἀλῆται dixerunt ἀλήτην βίον.

LXX. Onosandri nomen Suidas dicitur firmare. nihil firmat aliud quam illa iam aetate depravata fuisse in eo nomine Strategici exemplaria. neque aut Suidas aliquis aut librariorum error firmare potest quod analogiae Graeci sermonis repugnat. contra nominis quod est Ὄνησανδρος aliud exemplum Ludovicus Dindorfius attulit in Thesauro, et est illud tam recte formatum quam alia nomina haud pauca quorum eadem est prior pars. neque philosophum de bellicis rebus deblaterantem aliter adpellarunt Ioannes Lydus et Leo Bassili filius.

Apud Onesandrum igitur haec legimus cap. 4, εἰδέναι δὲ χερί, καθότι οὐ μόνον οὐκίας καὶ τείχους ἔδραιότερον ἑφίστασθαι δεῖ τὸν θεμέλιον, ὡς ἀσθενοῦς γε ὅντος συγκαταρρυησομένων καὶ τῶν ἐποικοδομουμένων, ἀλλὰ καὶ πολέμου τὰς ἀρχὰς δεῖ κατασκευασάμενον ἴσχυρῶς καὶ κρηπῖδα περιθέμενον ἀσφαλείας οὕτως ἐξάγειν τὰς δυνάμεις. desideratur in hac orationis forma apodosis: nam quae inde ab ἀλλὰ καὶ dicuntur non minus quam prior enuntiati pars ex καθότι suspensa sunt. ut recta fiat oratio καθότι in ὅτι mutandum est. deinde ἀσφαλείας Koechlyum offendit, neque immerito. sed etiam magis me offendit περιθέμενον, quod cum κρηπῖδα coniunctum non intellego. scribendum censeo ἀλλὰ καὶ πολέμου τὰς ἀρχὰς δεῖ κατασκευασάμενον ἴσχυρὰς καὶ κρηπῖδας θέμενον ἀσφαλεῖς οὕτως ἐξάγειν τὰς δυνάμεις.

In prooemio § 4 legebatur οἱ τε εὐπραγήσαντες ἡγέρθησαν εἰς δόξαν. quod cum ferri non posse videret Koechlyus ἡγέρθησαν scripsit. sed ἀείρειν abhorret a prosa oratione. nihil peccavit Wytenbachius ἡρθησαν scribens in Bibliotheca critica III 2 p. 75.

LXXI. Plauti Menaechmorum alter uxorem ita obiurgat v. 114 ss.,

*nam quotiens foras ego ire volo me retines revocas rogitas,
 quo ego eam, quam rem agam. quid negoti geram,
 quid petam, quid feram, quid foris egerim.
 portitorem domum duxi, ita omnem mihi
 rem necesse eloquist, quidquid egi atque ago.*

ultimus versus, cuius generalior est sententia, nihil habet quod reprehendas. sed nimis ineptum est ab eo qui foras ire vult quaerere non quid acturus sit, sed quid egerit foris. itaque ferri nequit illud *quid foris egerim*. quid Plautus scripsert et ipsa res docet et quod simul dixit *quid feram*, nimirum hoc,

quid petam, quid feram, quid foras egeram.

metuit enim uxor ne quid suarum rerum maritus ad scortum deferat. et surripuit ei pallam: de qua re mox v. 130 ita gloriatur, *hanc modo uxori intus pallam surrupui, ad scortum fero*, matrona autem conqueritur v. 644 *palla mihi domo surrupta*, v. 734 *pallas atque aurum meum Domo suppilas tu tuae uxori et tuae Degeris amicae* (ita haec scripsit Muellerus in Prosodia Plautina p. 532), v. 803 *at ille suppilat mihi aurum et pallas ex arcis domo, Me despoliat, mea ornamenta clam ad meretrices degerit.*

Versum Menaechmorum 882,

lumbi sedendo, oculi spectando dolent,

Ritschelius reficiendum esse putavit *mi* pronomine post *sedendo* addito, Fleckeisenus ibi *et* ponere voluerat, Muellerus p. 506 *illi* excidisse opinatur. fugit eos hunc versum suum fecisse Ausonium in Ludo septem sapientum scriptumque ibi esse p. 278 Tollii *lumbi sedendo oculique spectando dolent*, sed a vetere scriptura *que* afuisse.

LXXII. In Terentii Eunicho 1 2 117 libri antiqui habent

me miseram, forsitan hic mihi parvam habeat fidem,

nisi quod in parte eorum *parum* scriptum est. nam quod Donatus *forsan* habere dicitur, nihil eiusmodi ipsius verba praebent. sed Bentleius *forsan* necessarium esse putavit ut numeros suos reciperet versus, quem talem fecit,

me miseram, forsitan párvam hic habeat mihi fidem.

nempe in exemplaribus olim impressis legitur *forsitan hic parvam habeat mihi fidem*. idem *forsan* Bentleius intulit in Andriam v 5 1, ubi scripsit

dliquis forsitan mé putet

nón putare hoc vérum.

in libris est *aliquis forsitan me putet*, nisi quod Bembinus *forsitan*

habet. recte autem nuper obtemperatum est Hermanno in Elementis doctrinae metricae p. 176 haec ita constituenti,

aliquis me forsitan

putet non putare hoc verum.

in Eunuchi versu Bentleio eatenus paruerunt ut scriberent

me miseram, forsan hic mihi parvam habedit fidem.

nollem factum. nam *forsitan*, quod Plautus ignorat (quippe e Pseudulo 15 17 remotum est auctoritate libri Ambrosiani), Terentius praeterea dixit in Phormione 4v 5 5, utrum *forsan* usurpaverit plane nescimus, neque qui ea voce usus sit antiquorem novimus Lucretio. scribi potest in Eunacho, si tamen versus emendandus est,

me miseram, forsan mihi parvam habeat fidem.

Eunuchi III 5 43, ubi Chaerea narrat quae secum reputaverit conspecta tabula in qua picta erat Danae et aurea Iovis pluvia, in libris scriptum est

ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero ita feci ac lubens. peccatum est in numeros neque bene dictum *ita*. practerea Faber et Bentleius iure improbarunt *fecit*, quod lepidissimam narrationem misere turbat ac pervertit. Bentleius igitur scripsit

ego homuncio hoc non fecerim? ego vero illud fecerim ac lubens. quod addit *facerem* praeterita respicere neque in consultando et secum reputando locum habere, nimirum non nunc ille secum reputat, sed quae reputaverit narrat. habent autem *facerem* non tantum Eunuchi exemplaria, sed scriptum est etiam apud Augustinum de civitate dei II 7 et in Confessionibus 1 16 26 pariterque apud Ennodium Ep. 14. mihi Terentius scripsisse videtur

ego homuncio hoc non facerem? facerem ego illud vero item, ac lubens.

postquam alterum *facerem* excidit versus male expletus est. quod factum est ante Augustinum, si verum est vetusta Civitatis et Confessionum exemplaria *fecit* illud habere. *item* debetur Bothio.

LXXIII. Seneca de amicitia p. 103 Nieb. *an aurum ingenti opera tegi creditis, cuius ubique quaeſiti vix sub aliquo monte vena deprehenditur, amicum autem ubique inveniri, sine ullo labore, sine ulla investigatione?* non potest hic aurum dici *ingenti opera tegi*. quare Haasius Senecae t. III p. 436 *retegi* scripsit, non prorsus quidem male, sed ut aptius verbum magisque proprium requiram. quale nullo negotio adipiscimur si scribimus *an aurum ingenti opera legi creditis*. a legendō auro *aurilegi* et *aurileguli* dicti sunt. *aurilegus* χρυσολόγος

est in Onomastico, *aurilegulus* χρυσεκλέκτης in Philoxeni qui dicitur glossario, in Cyrilliano χρυσορύκτης *aurifodina*, *aurilegulus*, ubi prius interpretamentum recte putatur ad aliud olim pertinuisse vocabulum, sive χρυσωρυχεῖον illud fuit sive χρυσωρυχία. habet Philoxenus *aurifodina* χρυσωρυχία.

LXXIV. Taciti haec sunt in Dialogo cap. 12, *nec ullis aut gloria maior aut augustior honor, primum apud deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur, deinde apud istos diis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicum, sed Orpheus ac Linum ac si intropiscere altius velis ipsum Apollinem accepimus.* rectissime Heumannus *causidicorum*, quod subabsurdum est, in *causidicum* mutavit. sed de vatibus qui deorum epulis interesse ferebantur altum est interpretum silentium, quasi res sit notissima. equidem fabulam aut carmen frustra quaesivi ubi poeta aliquis esset conviva deorum. cupio igitur doceri quid Tacitus spectaverit. quem arcum aliquid atque a communi notitia remotum significasse non est existimandum: nusquam enim, nedum in hoc libro, reconditarum litterarum studia ostentat. quodsi nulla quae hic pertineat fabula indicari poterit, depravatum esse putabo *epulis* mutandumque in *oraculis*. nam oraculis deorum interesse dici potuerunt poetae, προφῆται τῶν θεῶν, ut ait Plato in Re publica II p. 366^b. quod autem simul dicuntur eorum *proferre responsa* tantum abest ut impedit quominus et *interesse oraculis* additum fuisse credamus, ut eam opinionem propemodum videatur confirmare: nihil est enim in hoc Taciti libro frequentius quam similium copulatio. neque hysterologia quemquam offendet.

LXXV. Apuleius Met. VI 14 *iamque et ipsae semet muniebant vocales aquae: nam et 'discede' et 'quid facis?' vide et 'quid agis?' cave et 'fuge' et 'peribis' subinde clamant. eximie Lahnius et ipsae metum incutiebant. sed lenius est scribere inciebant.*

LXXVI. Nonius p. 357 7 Accius Astyanacte 'hunc aicaispinem regionum fac ac desisset exercitum morari nec me ab domitione marceretu obsceno homine.' docti homines haud pauca protulerunt mirabilia et non nulla adeo monstrosa. mihi satis liquet scriendum esse *nunc Calchan aruspice legionum fac desisse exercitum morari nec me ab domitione arcere tam obscaeno omne.*
quae ab aliis sumpserim docebit adnotatio Ribbeckii Trag. Lat. rel. p. 133. *legionum* praebuit Adrianus Heringa Obs. crit. p. 294, in ceteris admodum infelix.

LXXVII. In libro Aeneidos septimo Iuno Alecto ab inferis evocat

ut pacem compositam disiciat. post Iunonis verba haec secuntur v. 341,
ex in Gorgoneis Allecto infecta venenis Principio Latium et Laurentis
tecta tyranni Celsa petit tacitumque obsedit limen Amatae. ad quae per-
tinet scholion libri Veronensis quod Maius et Keilius ita scriptum
dederunt, *haec sine ulla lectionis intercapidine pronuntianda sunt*, quia
ἱοφόρον πρόσωπον induxit hoc ex nocendi festinatione, ideoque illam
perfecto officio induxit loquentem. sic et in primo Cupido matri non re-
spondit. haec partim non satis possunt intellegi, partim falsa sunt:
neque enim perfecto officio loquitur Alecto, sed postquam Amatam
in furorem coniecit ad Turnum se transfert eumque adsumpta Ca-
lybes forma instigat oratione ut bellum moveat. verum emendationem
frustra periclitabimus donec certius constiterit quid legatur in libro
Veronensi: Maius enim obscuras eius litteras non recte videtur di-
spexisse. illud tamen quod scripsit *ἱοφόρον πρόσωπον* non tantum
intellegitur absurdum esse ac plane stultum, sed patet etiam quid pro
eo ponendum sit. adnotatur enim in codice esse ΥΩΦΟΠΡΟΣΟΠΟΝ.
unde manifestum est scribendum esse κωφὸν πρόσωπον. pertinet
id ad Graeca artis vocabula quae Latini grammatici retinebant. Do-
natus ad Hecyrae 1 2 3 adscripsit ‘κωφὸν πρόσωπον inducitur.’
habet κωφὸν πρόσωπον etiam Martialis vi 6.

LXXVIII. Euripides in Medea v. 846

*πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν
 ἢ πόλις ἢ φίλων
 πόμπιμός σε χώρα
 τὰν παιδολέτειραν ἔξει,
 τὰν οὐχ ὀσίαν μετ’ ἄλλων;*

de initio carminis nihil proferre possum quod mihi ipsi placeat, vereor
tamen ne difficultas et obscuritas eius non sit discussa Elmsleii inter-
pretatione. sed *τὰν ὀσίαν μετ’ ἄλλων* languidum esse Hermannus
verissime iudicavit: quamquam quod scribendum esse coniecit *τὰν*
οὐχ ὀσίαν μέγ’ ἄλλων non videtur dici potuisse. nullam autem
probabilitatem habet Jacobsii *μετ’ ἀστῶν.* mihi vero totum illud
τὰν οὐχ ὀσίαν μετ’ ἄλλων sive etiam *μετ’ ἀστῶν* insolenter
dictum videtur. seripsisse puto Euripidem
τὰν οὐχ ὀσίαν μεταλλᾶν.

quam pro scelere suo nefas est adloqui. verbum quod est *μεταλλᾶν*
a propria et Homericā ad adloquendi significationem Pindarus de-
flexit cum dixit Ol. 6 61 ἀντερθέγξατο δ' ἀρτιεπής Πατρία ὅσσα
μετάλλασέν τέ νιν “δρσο, τέκος, Δεῦρο πάγκουνον ἐς χώραν

ἵμεν φάμας ὅπισθεν." puto enim *μετάλλασέν τέ νιν* nihil aliud esse quam et *adlocuta est eum* simpliciusque et rectius quam eos qui mutare illud voluerunt aut alias explicationes quaesiverunt iudicasse et Heynium et Buttmannum in Lexilogi t. I p. 140. *τὰν οὐχ ὀσίαν μετάλλαν*, si Pindaricam illam verbi significationem adgnoscimus, sententiam praebet aptissimam. simile est quod Philoctetes Sophoclis dicit v. 1352 *εἰτα πῶς ὁ δύσμορος Ἐς φῶς τάδ' ἔρξας εἴμι;* *τῷ προσήγορος*; quodammodo comparari passunt quae Euripides habet Suppl. v. 959, *οὐδὲ Ἀρτεμισ λοχία Προσφέγξαιτ'* ἀν τὰς ἀτέκνους. item Aeschylea Sept. v. 670, ἀλλ' οὐτε νιν φυγόντα μητρόθεν σκότον *Οὔτ' ἐν τροφαῖσιν οὔτ' ἐφηβήσαντά πω Οὔτ' ἐν γενείον* *ξυλοχῇ τριχώματος Άικη προσεῖπε καὶ κατηξιώσατο.*

LXXIX. Aristophanes in Avibus v. 1343

οὐκ ἔστιν οὐδὲν τοῦ πέτεσθαι γλυκύτερον.
[ἔρω δ' ἔγωγε τῶν ἐν ὅρνισιν νόμων]
ὅρνιθομανῶ γὰρ καὶ πέτομαι καὶ βούλομαι
οὐκεῖν μεθ' ἴμων κάπιθνμῶ τῶν νόμων.

altero versu *ἔγωγε* in scholiis Aldinis legitur, Venetus liber (nam Ravennas illam adnotationem omittit) *ἔγώ τι* in scholiis idemque cum Ravennati in ipsa fabula habet, videtur autem Bekkerus id recte in *ἔγώ τοι* mutasse. sed totum istum versum Meinekius iure optimo removit: neque enim eiusmodi quicquam antea potest dixisse qui mox ait *κάπιθνμῶ τῶν νόμων* idque ex causalí coniunctione suspendit. scholion hoc est, *οὐκ ἔστιν οὐδὲν τοῦ πέτεσθαι κατὰ τοῦτον ἐνὸς στίχον φέροντες τινες διάλειμμα καὶ Αριστοφάνης (Αριστοφάνους Dindorfius) πλήρωμα οὗτως, "ἔρω δ' ἔγώ τι τῶν ἐν ὅρνισιν νόμων."* ubi vereor ne *νόμων* aut error sit aut commentum, is autem qui hunc versum fecit *νόμων* intellexerit: sin *νόμῶν* voluit, non minuitur eo versiculi pravitas, sed alio nomine fit absurdus. sed nullo pacto credere possum Aristophanem Byzantium, non hebetis ingenii hominem, tam inficetum fecisse versum. errasse potius videtur scholiastes et quod acceperat conturbasse. mox καὶ πέτομαι poeta non potest scripsisse. nondum enim volat homo volatilis vitae cupidus, neque de figurato verbi usu cogitari potest, quem nemo intellecturus erat ubi de avibus fit sermo. ineptum esse πέτομαι Kockius intellexit scribendumque putavit καὶ πέτεσθαι βούλομαι Οἰκῶν μεθ' ἴμων. mihi praestare videtur quod olim conieci,

*ὅρνιθομανῷ γὰρ καὶ πέτεσθαι βούλομαι
καψεῖν μεθ' ὑμῶν κάπιθυμῷ τῶν νόμων.*

nam et triplex καὶ optime convenit his versibus et ex crasi constat saepe natos esse errores. *καρκίαν* est in Thesm. v. 349.

Scholion in Av. v. 345 ita scribendum puto, *ἐπίβαλε περὶ τε
κύκλωσαι. ὡς δπλον πανταχοῦ (τοῦτο γὰρ τὸ παντά) τὴν
πτῆσιν ἐπὶ φόνῳ γενομένην περίαγε.*

LXXX. Plato de legibus iv p. 719^a οὐσης γὰρ ταφῆς τῆς μὲν ὑπερβεβλημένης, τῆς δὲ ἐλλειπούσης, τῆς δὲ μετρίας, τὴν μίαν ἐλόμενος σύ, τὴν μέσην, ταύτην προστάττεις καὶ ἐπήρεσσας ἀπλῶς, ἐγὼ δέ, εἰ μὲν γυνή μοι διαφέρουσα εἴη πλούτῳ καὶ θάπτειν αὐτὴν διακελεύοιτο ἐν τῷ ποιήματι, τὸν ὑπερβάλλοντα ἀν τάφον ἐπαινοίην, φειδωλὸς δ' αὐτὸν καὶ πένης ἀνήρ τὸν καταδεῖ, μέτρον δὲ οὐσίας κεκτημένος καὶ μέτρος αὐτὸς ὃν τὸν αὐτὸν ἀν ἐπαινέσοι· non fugit Bekkerum scribendum esse ἐπαινέσαι. sed restat gravius vitium: nullum enim hic dici potuit mulieris ποίημα. Badhamus in Epistula de Platonis Legibus p. xxvi hoc breviter edixit, ‘sublata ridicula interpunctione legendum θάπτειν ἔαντὴν διακελεύοιτο, ἐν τῷ ποιήματι τὸν ὑπερβάλλοντ' ἀν τάφον ἐπαινοίην.’ non nova est ista ratio. nempe Ficinus ita illa interpretatus est, ‘ego autem, si uxor mihi ditissima esset iuberetque ut eam magnifice sepelirem, in poemate excedens sepulcrum laudarem.’ sed mariti poema non minus ridiculum est quam uxor. augetur autem ridiculum addito τῷ, quod tum demum recte se haberet si consentaneum esset unumquemque maritum uxore mortua carmen facere. non dubium mihi est ποιήματι ex alia voce depravatum esse. quod factum esse videtur tempore satis antiquo: nam quantum constat idem scriptum est in Ioannis Stobaei Anthologio cxxiii 14. sed frustra fuerunt qui adhuc emendationem temptarunt. quorum alius ἐν τῷ ἐπιστήματι, alius ἐν τῷ μνήματι scribendum esse coniecit: sed absurdum est ista sumptuosioris sepulturae in columna vel monumento facta laudatio, neque ἐπαινεῖν omnino hic eiusmodi aliquam laudem potest significare, sed est iudicio et facto adprobare. quare sanior fuit Astii sententia, qui scribendum putavit ἐν τῷ γράμματι, id ut esset *in codicillo*. sed γράμμα ita non usurpatum, immo Plato, si illud dicere voluisse, ἐν τῇ διαθήκῃ posuisse. latet igitur haud dubie aliud. puto autem Platonem scripsisse καὶ θάπτειν αὐτὴν διακελεύοιτο ἐν τῷ νοσήματι. intellegitur praecedens mortem morbus, ut ad-

pareat articulum se habere rectissime. hoc autem quod posui aut simile quidpiam ut adderetur si minus necessarium, at plane erat commodum. nimis enim nudum est illud ‘si uxor mihi esset valde dives seque sepelire iuberet.’ quod si quis dicat non ἐν τῷ νοσήματι scribendum fuisse, sed ἐν τῇ νόσῳ, vereor ne argutius id dicat quam verius.

Leg. i p. 633^e Atheniensis haec dicit, *νῦν οὖν πότερα λέγομεν τὸν τῶν λυπῶν ἥπτω κακὸν ἥ καὶ τὸν τῶν ἡδονῶν μᾶλλον;* repondet Clinias *ἔμοιγε δοκεῖ, τὸν τῶν ἡδονῶν καὶ πάντες πονούμεν τὸν ὑπὸ τῶν ἡδονῶν κρατούμενον τοῦτον τὸν ἐπονειδίστως ἥπτονα ἔαντον πρότερον ἥ τὸν ὑπὸ λυπῶν.* non recte haec, quantum video, interpretes explicarunt. nimirum ἥπτονα ἔαντον semel positum est, sed intellegendum quasi bis esset dictum. quam loquendi sive brevitatem sive neglegentiam Ludovicus Dindorfius in Xenophontis Hist. Gr. II 3 19 exquisitis exemplis demonstravit. neque aliena est illa dicendi ratio a Platone. nam cum scripsit in Phaedone p. 114^b οὐδὲ δὴ ἀν δόξωσι διαφερόντως πρός τὸ δσίως βιῶνται, his voluit intellegi βιῶνται. apud Pausaniam VIII 5 3 haec scripta sunt, *Φενεατῶν δέ ἐστι λόγος καὶ πρὶν ἥ Ναὸν ἀφικέσθαι γάρ καὶ ἐνταῦθα Δῆμητρα πλανομένην, δοσοι δὲ Φενεατῶν οἴκῳ τε καὶ ξενίοις ἐδέξαντο αἰτήην τούτοις τὰ δσπρια ἥ θεὸς τὰ ἄλλα, κύαμον δὲ οὐκ ἔδωκε σφισιν.* de quibus non convenit mihi cum doctis hominibus: puto enim neque excidisse quicquam post Ναόν neque γάρ quod post ἀφικέσθαι est delendum esse, sed ἀφικέσθαι Pausaniam ita dixisse ut in oratione adcuratius disposita bis eo esset utendum. lenius est quod dixit VIII 25 12 ἀ οἱ πεπιστευχότες μάταια ὕστωσαν.

Non magis adcurate explicata memini quae Leg. v p. 734^c dicuntur, δὸ δὴ σώφρων τοῦ ἀκολάστου καὶ δὸ φρόνιμος τοῦ ἀφρονος, φαῖμεν ἀν, καὶ δ τῆς ἀνδρείας τοῦ τῆς δειλίας ἐλάττονα καὶ συμφόρεα καὶ μανότερα ἔχων ἀμφότερα, τῇ τῶν ἡδονῶν ἐκάτερος ἐκάτερον ὑπερβάλλων, τῇ τῆς λύπης ἐκείνων ὑπερβαλλόντων αὐτούς, δὸ μὲν ἀνδρεῖος τὸν δειλόν, δὸ δὲ φρόνιμος τὸν ἀφρονα νικῶσιν. dicta sunt τῇ τῶν ἡδονῶν et τῇ τῆς λύπης ita ut intellegatur ὑπερβολῆ, cuius vocabuli notionem suppeditant ὑπερβάλλων et ὑπερβαλλόντων. disputavi de hoc ellipseos genere in prooemio Indicis lectionum hieme anni MCCCCCLXV Berolini habendorum. ubi quod p. 7 attuli Quinti Smyrnaei versum vi 176, τοῦνεκα ἥσιν ἔλευστος ἐτὶ κλισίγησι κέλευσεν Νῆας ἀμοιβαίγσι φυλάσ-

σεμεν, poteram explicationem Lobeckii in Paralip. gr. Gr. p. 314 φυλακαῖς intellegentis eo confirmare quod eadem ellipsi aliquotiens uitur Aeneas in Strategicis.

LXXXI. Aelianus Var. hist. i 31 ὅταν ἐς Πέρσας ἐλαίνη βασιλεύς, πάντες αὐτῷ Πέρσαι κατὰ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ἔκαστος προσκομίζουσιν. Herchero p. lxxviii post ἔκαστος excidisse δῶρον videtur. sufficit scribere ἔκαστός τι προσκομίζουσιν.

Quod Var. Hist. xiv 15 p. 163 19 H. Coraes ex ἀποσαντα fecit ἐκλαβόντα occupaverat Struchtmeyerus Ep. crit. in Glossas nomicas p. 64.

Aelianus t. II p. 269 19 II. Φίασόν τε μίμων καὶ πορδακιστῶν περὶ αὐτὸν μάλα πλῆθος εἶχεν. muto μάλα in μέγα.

LXXXII. Achilles Tatius iv 4 haec habet, προνομεύει γὰρ αὐτῷ (elephanti proboscis) τὰς βοσκὰς καὶ πᾶν ὃ τι ἀν ἐμποδὼν εἴη σιτίον. ἐὰν μὲν γὰρ ἢ ὄψον ἐλέφαντος, ἐλαβέ τε εὐθὺς καὶ ἐπιπτυχθεῖσα κάτω πρὸς τὴν γέννην τῷ στόματι τὴν τροφὴν διακόνει, ἀν δέ τι τῶν ἀδροτέρων ἤδη, τούτῳ περιβάλλει κύκλῳ τὴν ἄγραν περισφίγξας καὶ ὥρεξεν ἀνω δῶρον δεσπότη. ineptum esse ἀδροτέρων cum videret Hercherus scripsit ἀνθρωπίων: putavit enim hoc requirere oppositum ὄψον ἐλέφαντος. quod scite excogitatum esse concedo, certum autem et necessarium ipsaque mutationis specie probabile non duco, sed puto correcta una littera scribendum esse ἀβροτέρων. delicior cibus saepius dicitur ἀβρότερος, veluti apud Longum i 8 est τροφαῖς ἀβροτέραις, possunt autem cibus delicior et ὄψον ἐλέφαντος inter se opponi. neque vero sui dissimilis fuit Achilles si elephantem nimis paene fecit abstinentem et benignum.

LXXXIII. Cercidae Megalopolitani mentionem factam esse a Gregorio Nazianzeno in carmine περὶ ἀρετῆς v. 595 ss. Meinekius docuit in Annalibus philologicis a. MDCCCLXIII p. 387. versus hi sunt, p. 444 Calliavi,

ἀπαντα δ' ἔρπειν εἰς βυθὸν τὰ τίμα
τῶν γαστριμάργων σῖτα, μηδὲ σῖτ' ἔτι
τῶν εὐτελεστάτων λέβητος ἐξ ἐνός,
δρῶσις λέγει πον Κερκιδᾶς διφίλτατος,
τέλος τρυφώντων αὐτὸς ἐσθίων ἄλας,
αὐτῆς τρυφῆς ἔθ' ἀλιμαρὸν καταπτίων.

addit Meinekius, si quis depravata corrigere adgrediatur, ei non neglegendos esse alios eiusdem Gregorii versus non minus depravatos.

qui versus quo in carmine legantur cum Meinekius dicere oblitus esset, frustra eos se quaevisisse Bergkius ait in Poetis lyricis p. 800. leguntur autem in *Συγκρίσει βίων* v. 96ss. p. 394, ubi *Κόσμος* et *Πνεῦμα* locuntur.

*K. ἐμοῦ τὰ πέμματ'. Π. ἄρτος ἡ καρνιέια.
ἐμοὶ τὸ πόματ', ἐξ ἀλῶν ἄπαν γλυκύ·
οἷς τῶν τρυφώντων ἀλμυρὸν καταπτύνω.*

in his versibus Billius habet *καρνιά*, quam vocabuli formam versus postulat, tum *ἐμοὶ τὸ πέμμα*, sed in libris *πῶμα* esse scribit. corrigo hos versus ita,

*K. ἐμοῦ τὰ πέμματ'. Π. ἄρτος ἡ καρνιά
ἐμοὶ τὸ πέμμα τ'. ἐξ ἀλῶν ἄπαν γλυκύ·
οἷς τῶν τρυφώντων θάλμυρὸν καταπτύνω.*

in carmine *περὶ ἀρετῆς* Calliavus codicem Coislinianum habere dicit *τρυφῆς τε αὐτῆς*, apud Cosmam in Maii Spicilegio Romano t. II p. 254 legitur *αὐτῆς τρυφῆς τε τ' ἀλμυρόν*. adparet etiam hic scribendum esse similiter *αὐτῆς τρυφῆς δὲ θάλμυρὸν καταπτύνων*. quod dicitur *τέλος*, id est *tandem*, adcuratius intellegeremus si ipsum extaret Cercidae carmen.

LXXXIV. Meleager Anth. Pal. v 141

*Ναὶ τὸν Ἱερωτα, θέλω τὸ παρ' οὖσιν Ἡλιοδώρας
φθέγμα κλίειν ἢ τὰς Λατοΐδεων κιθάρας.*

Lobeckius Ai. p. 332 statuit non diversos nominum casus ex verbo suspensos esse, sed intellegendum esse *τὸ τῆς κιθάρας φθέγμα*, putatque id ostendere imitationem Agathiae Anth. Pal. v 292, ἀλλὰ τί μοι τῶν ἥδος, ἐπεὶ σέο μῆθον ἀκούειν Ἡθελον ἢ κιθάρας κρούσματα Αητιάδος; mihi ex imitatione Agathiae illud non videtur posse colligi. expectamus autem in tam brevi epigrammate orationem simpliciorem et elegantiorem. qualis prodit si scribimus ἢ τὰς Αητοΐδεων κιθάρας. postquam *TΛΣ* male visum est esse *τὰς* sponte natum est *Λατοΐδεω*, pro quo in codice Palatino *λατριδεω* scriptum est; sed *Αητοΐδεω* habet Planudes, neque opus est ut Meleagrum dialectos miscuisse putemus. plurale *κιθάρας* neque per se potest offendere et locuti sunt alii similiter. apud Ovidium Met. i 559 Apollo haec dicit, *semper habebunt Te coma, te citharae, te nostrae, laure, pharetrae.* ubi pronomen posteriori orationis parti ea figurae ἀπὸ κοινοῦ specie reservatum est qua Catullus dixit carmine 56 *O rem ridiculam, Cato, et iocosam Dignamque auribus et tuo cachinno.* locuti ita sunt etiam Graeci poetae. Sophocles Oed.

Col. 1399 οἵμοι κελεύθον τῆς τ' ἐμῆς δυσπραξίας. Theocritus 22 68 τίς γὰρ ὅτῳ χείρας καὶ ἔμοις συνερείσω ἴμάντας; quod autem Meleager pluraliter dixit παρ' οὐασιν, similiter locutus est Anth. Pal. v 152, *Πταιής μοι, κάνωψ, ταχὺς ἄγγελος, οὐασι δ'* ἄκροις Ζηνοφίλης ψαύσας προσψιθίζει τάδε. unde adparet non recte reprehensum esse quod Dawesius in Callimachi Hymno in Apollinem v. 105 scripsit δὲ Φθόνος Ἀπόλλωνος εἰς οὐατα λάθριος εἶπεν.

LXXXV. In vita Theocriti haec legimus, ἀκονστής δὲ γέγονε Φιλητᾶ καὶ Ἀσκληπιάδον, ὃν μημονεύει. quo pertinet quod Choeroboscus in Dictatis in Theodosii Canones p. 360 habet Φιλίππας δὲ διδάσκαλος Θεοφίλου. in codice Marciano scriptum esse φιλητός Gaisfordius narrat in praefatione ad Etymologicum p. 8. scribendum est Φιλητᾶς.

LXXXVI. Servius cum ad Aeneidos v 591, *falleret indeprehensus et inremeabilis error*, hoc adnotavit, *est autem versus Catulli*, nullum alium Catulli versum in animo habuit quam similem illum Vergiliano, *tecti frustraretur inobservabilis error*. ad Aen. x 807, *dum pluit in terris*, hoc adscripsit, — *tamen sciendum est hemistichium hoc Lucretii esse, quod ita ut invenit Vergilius ad suum transtulit carmen*: atqui Lucretius vi 630 non *dum* dixit, sed *cum*. ad versum Aen. ix 503, *at tuba terribilem sonum procul aere canoro Increpuit*, adnotavit *hemistichium Enniū: nam sequentia iste mutavit: ille enim ad exprimentem tubae sonum ait ‘tarantara dixit’*: scimus Enniū fuisse terribili sonitu: nihilo tamen minus recte Vergilianum hemistichium Enniū esse dicitur. Vergilius est Aen. vi 219 *corpusque lavant frigentis et ungunt*: dixit Servius *versus Enniū, qui ait ‘Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.’* idem Servius, si eius est adnotatio, ad Aen. i 530, *est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt, hoc adscripsit, est autem versus Ennianus: is enim ita ait, ‘est locus Hesperiam quam mortales perhibebant.’* ad Aen. xi 601, *tum late ferreus hastis Horret ager campique armis sublimibus ardent*, Servius adnotavit *est autem versus Ennianus: videtur intellegere illum e Scipione, sparsis hastis longis campus splendet et horret.* haec qui consideraverit non dubitabit homines doctos non recte iudicasse de eis quae idem Servius de versu Georg. ii 404 dicit, *‘frigidus et silvis aquilo decussit honorem:’ Varronis hic versus est.* putarunt enim haec ipsa verba esse Varronis Atacini: quod veri est dissimillimum propter *et traiectum*. immo mutavit Vergilius Varronis versum. et solent fere poetae cum alio-

rum versibus utuntur paullulum eos immutare. cuius rei immemor fuit qui Aeschyli versum in Persis 250, *ωδε περσὶς αἰα καὶ πολὺς πλούτον λιμήν*, suo artificio emendandum esse censuit. nam cum Euripides Or. 1083 illud ita imitatus sit ut diceret *καὶ δῶμα πατρὸς καὶ μέγας πλούτον λιμήν*, extitit qui pariter Aeschylum non πολὺς, sed μέγας scripsisse statueret. sed πολὺς neque per se neque propterea offendit quod statim sequitur *ως ἐν μιᾷ πληγῇ κατέφθασται πολὺς Ὀλβος.* a nulla enim re Aeschylus magis alienus fuit quam ab anxio et exili studio quo eorundem vocabulorum repetitionem vitaret.

LXXXVII. Plinius Nat. hist. iv 79 secundum ostium Naracum stoma appellatur, tertium Calon stoma iuxta insulam Sarmaticam, quartum Pseudostomon, et in insula Conopon diabasis, postea Borion stoma et Psilon stoma. inter et in insula atque et insula fluctuant libri. potest in ex proxima syllaba ortum esse, sed veri tamen similius est proprius ab eo quod Plinius scripsit abesse et in, quod cum non posset intellegi in deletum est. quare scribo ex in insula Conopon diabasis.

LXXXVIII. Curtius iv 13 28 in subsidiis cum manu sua Coenos, post eum Orestae Lyncestaeque sunt *positi*. post illos Polysperchon. tum peregrini milites: huius agminis princeps Amyntas aberat. probabiliter *positi* à Fossio additum est. deinde in libris est *dux peregrini militis* idque cum antecedente nomine coniungebatur: quid dici oportuerit perspexit Hedickius, qui *tum peregrini milites* scripsit. idem erat in aberat verissime mutavit. unum est in quo ab eo dissentiam. nam *dux* quod libri habent in *tum* mutandum esse credorem si nulla praesto esset lenior emendatio: atqui mutatione multo probabiliore scribitur *mox*. nulla est enim causa quin Curtium *mox* in ordinis et loci significatione dixisse putemus quemadmodum Plinius aliquie dixerunt.

Curtius vi 5 11 itaque rex, indignatus si una gens posset efficere ne *invictus* esset, impedimentis cum praesidio relictis *invicta* manu comitante procedit. absurdum est *invicta*, melius autem aliorum commentis *valida*, quod Muetzellius scribendum esse coniecit. nimirum potuit negligenter librarius relabi ad *invictus* quod modo scripserat. tamen vel sic credibilius duco *invicta* factum esse ex multa.

LXXXIX. Cicero de leg. iii § 14 Att. aīn tandem? etiam a Stoicis ista tractata sunt? *M.* non sane nisi ab eo quem modo nominavi et postea a magno homine et in primis eruditio Panaetio. nam veteres verbo tenus

*acute illi quidem sed non ad hunc usum popularem atque civilem de re publica disserebant: ab hanc familiam magis ista manarunt Platone principe. post Aristoteles inlustravit omnem hunc civilem in disputando locum, Heraclidesque Ponticus, profectus ab eodem Platone. secuntur laudes Theophrasti Dicaearchi Demetrii Phalerei. ab hanc familiam est in codice Leidensi antiquiore, in altero ab hanc familia, in non nullis ad hanc familiam, in deterioribus plerisque ab hac familia, id quod multis placuit. putarunt enim pronomine sa- tis indicari Academiam: quod fieri nullo hic quidem modo potuit. neque melior est Bakii opinio haec adnotantis, ‘ab hac, i. e. quae nunc indicabitur, positis nominibus Platonis, Aristotelis, aliorum, ut tum Academicorum, tum Peripateticorum sint intelligendi.’ condonamus prius *tum* neglegentius scribenti (nam peccant similiter plurimi), sed non condonamus quod putavit Ciceronem et locutum esse tam per- plexe et Academicos Peripateticosque unius familiae nomine comprehen- disse. sanius fuit iudicium Ioannis Schefferi, qui scribendum esse coniecit ab *Academica familia*. tamen ne id quidem probari potest: nam neque ex *academica* fieri potuisse *hanc* credibile est ne- que intellegitur cur Cicero tam inutilem circumlocutionem orationi simplici et iustae praetulerit. nihil is scripsit aliud quam ab *Acade- mia*. quod si qui hanc emendationem non satis lenem dixerint, nego eos horum librorum depravationem pernovisse. contribuit fortasse aliquid ad errorem scriptum *achademia*, quod saepe invenitur.*

XC. Iustinus xix 1 *Mago Carthaginiensium imperator cum pri- mus omnium ordinata disciplina militari imperium Poenorum condi- dissest viresque civitatis non minus bellandi arte quam virtute firmas- set, diem fungitur, relictis duobus filiis Asdrubale et Amilcare, qui per vestigia paternae virtutis recurrentes sicuti generi ita et magnitudini patris successerunt. non potest fieri ut quisquam filius patris sui succedat generi. scripsit Iustinus qui per vestigia paternae virtutis recurrentes sicuti genere ita et magnitudine patri successerunt.*

XCI. Statius Silv. II 7 116

*seu magna sacer et superbus umbra
nescis Tartaron et procul nocentum
audis verbera pallidumque visa
matris lampade respicis Neronem.*

verissime Marklandus in *seu* mutavit quod scriptum erat *tu*. ha- buisse *tu* veterem librum, ut habent apographa, constat mihi Politi- tiani testimonio: sed necessario continuanda erat eadem orationis

forma qua antea dicitur *at tu, seu rapidum poli per axem Famae curribus arduis levatus, Qua surgunt animae potentiores, Terras despicias et sepulchra rides, Seu pacis meritum nemus reclusae Felix Elysiis tenes in oris, Quo Pharsalica turba congregatur, Et te nobile carmen insonantem Pompeii comitantur et Catones.* absolvitur oratio v. 120, *adsis lucidus et vocante Polla Unum, quae so, diem deos silentum Exores.* mirum est autem neque Marklandum neque alios attendisse ad *nescis,* quod verbum ineptum est eique quae requiritur sententiae contrarium. scribendum est sine cunctatione *noscis.*

XCHI. Martialis 10 51

*Sidera iam Tyrius Phrixei respicit agni
taurus et alternum Castora fugit hiems,
ridet ager, vestitur humus, vestitur et arbor,
Ismarium paelex Attica plorat Ityn.
quos, Faustine, dies, quales tibi Roma Ravennae
abstulit. o soles, o tunica quies,
o nemus, o fontes solidumque madentis arenae
litus et aequoreis splendidus Anxur aquis
et non unius spectator lectulus undae
qui videt hinc puppes fluminis, inde maris.
sed nec Marcelli Pompeianumque nec illic
sunt triplices thermae nec fora iuncta quater
nec Capitolini summum penetrare tonantis
quaeque nitent caelo proxima templa suo.
dicere te lassum quotiens ego credo Quirino
'quae tua sunt tibi habe, quae mea redde mihi.'*

plana sunt omnia in hoc epigrammate praeter *Ravennae* quod versu quinto legitur. id enim prorsus nihil est. neque quicquam prodest quod in deterioribus libris *qualem* scriptum est et *ravennam:* etenim neque per se id sententiam praebet iustum et perspicuum neque *Faustinum Ravennae* vivere solitum fuisse *Anxuris* mentio apertissime docet. sensit vitium Italus qui *recessus* scripsit, quod est in exemplaribus Romae anno MCDLXXIII evulgatis; sanasse illud probabiliter non putandus est. quod si quaerimus quod et sententia congruat et in *ravennae* mutari posse intellegatur, nihil, puto, melius est quam hoc,

*quos, Faustine, dies, quales tibi Roma rapinas
abstulit.*

id est qualia tibi bona eripuit.

XCHI. Avienus in Phaenomenis v. 37

*istius ille anni pulcher chorus, alta ut hebescat
terra gelu, ver ut blandis adrideat arvis,
pulverulenta siti tellurem ut torreat aestas
et gravis autumni redeat fetura parentis.*

scribendum est *ver ut blandis adrideat arvis.* Lucretius II 32 *tem-*
pestas adridet. idem I 11 *nam simul ac species patefactast verna diei*
Et reserata viget genitabilis aura favoni.

V. 900. *ultima caeruleum sustentant agmina corvum
ales ut intento fodiat vaga viscera rostro.*

nihili sunt *vaga viscera.* scribe *cava.*

V. 1292. *hoc una caelum subit integer, haud reses ullo
viscere nascentis nova tauri deserit astra.*

ita haec scribenda sunt. exemplar Venetum anni MDCCLXXXVIII habet
haud res ullo, vetus liber scriptus, de quo alias dicam, *haud rese ullo.*
tum in utroque *Viscera* est.

XCIV. Apuleius in Apologia cap. 84 *ad litteras Pudentillae pro-*
vacastis. litteris vinco. quarum si vultis extremam quoque clausulam
audire, non invidebo. non potest litteris pronomine carere. quod
reciperamus si scribimus ad litteras Pudentillae provocas. istis litte-
ris vinco. adlocutus modo erat Apuleius Rufinum.

XCV. In Itinerario Alexandri multa egregie correxit Fridericus
Haasius in Miscellaneorum philologicorum libro altero, quem Vratis-
laviae anno MDCCCLVIII edidit. ita cum scriptum esset a Maio cap. 11
ille sibi soli viciisse gloriatus factusque in amicos saevior quo felicior
fructu victoriae, calluit ob id tumultuosos, in codice autem tumultuosus
esse idem dixisset, perbene intellexit scribendum esse obiit temulen-
tus. vide quae cap. 118 narrantur. sed erravit cum scribere vellet
fructu victoriae caluit: nam restituendum est sine dubitatione caruit.

XCVI. In scholiis Bernensibus ad Lucani II 2 post alia hoc ad-
scriptum est, *quod antiquissimus poeta adfirmat dicens 'natura natu-*
ram vincit et dii deos.' vetamur ab Usenero poetam existimare Latinum.
vereor ne praeter eum omnes in vetitum nisuri sint. mani-
festus est enim versus senarius veteribus numeris Latinis, sive scri-
bendum est *natura vincit naturam et dei deos sive potius vincit na-*
tura naturam et dei deos.

Ad IV 82, *et caelo defusum reddidit aequor,* adnotatum est iam
adducata sal seginonubibus aetere. Usenerus latere putat pannum, ut
ait, poetae dactylici scribendumque conicit, mirabili acumine, *aquam*

adlicit a sale gyro Nubibus aethereo, nimirum Iris. equidem adgnoscere mihi videor versum hexametrum cui primus pes deest, *iam adducta salsugine nubibus aethrae*. non praesto *iam adducta* (nam possunt illa gravius depravata esse), sed *salsugine ipsae litterae monstrant.* quod de aqua marina dictum est ut ἄλμη Graecorum.

XCVII. Chelidonem theologum commenticum esse ortumque e falsa interpretatione proverbii *πνθοῦ χελιδόνος* probabilis est opinio Lobeckii Agl. p. 304. hirundo haud dubie intellegenda est in versu illo sive Aristophanis sive, de quo prior Osanno Sturzius cogitavit, Chionidis in Meinekii Comicis t. II p. 1181, *πνθοῦ χελιδῶν πτηνίκ' ἄττα φαίνεται;* quocum Dindorfius recte comparavit initium Thesmophoriazusarum, ὁ Ζεῦ, χελιδῶν ἀρά ποτε φανήσεται; non probo autem quod Dobraeus in Kiddii Miscellaneis Porsonianis p. 383 scribendum coniecit *πνθοῦ χελιδών*. immo ex *πνθοῦ χελιδόνος* poeta comicus finxit nominativum *πνθοῦ χελιδών*. dicit autem hoc, ‘quando illud *πνθοῦ χελιδόνος* adparet?’ id est dici poterit adparente veris nuntia hirundine. sub qua facetiore orationis forma sententia subest non alia quam quae est versiculi Thesmophoriazusarum. sic βανχέβανχος ex Βάνχε Βάνχε factum est, ιδβανχος ex ιὸ Βάνχε, αἰλινος ex αὶ Λίνε, neque qui ἔλεγος nomen ex ephymnio ἐὲ λέγη, ἐὲ λέγε repetunt (quod facere memini Godofredum Hermannum) analogiam Graecae linguae violent. eodem pertinet quod Lobeckius Pathol. t. I p. 473 attulit ex Cynegeticis I 341, ἐμὴν ὑμέναιον ἀείδων. similiter Ovidius loquitur in Arte I 563, *pars 'Hymenae' canunt, pars clamant euhion euhoe:* quod fuerunt qui non intellegent.

XCVIII. Barbarismorum exempla in Keilii Grammaticis t. IV p. 197 ss. valde memorabilia sunt neque tantum ad cognoscendam linguarum e Latina propagatarum originem utilia. de eis paucula adnotare volo scitu fortasse non plane indigna.

P. 197 27. *gyrus, non gyrus.* ita codex. scribendum erat *non goerus.* id saepius legitur in libris, veluti apud Ausonium p. 560 T., apud Nonium p. 20 26, 189 32.

198 19. *delirus, non delerus.* est *delerus* in Notis Tironianis p. 97, *deleramenta* apud Frontonem p. 32 Nab., *deleritas et deleratio* in vetustis exemplaribus Nonii p. 490 20.

199 1. *socrus, non socra.* est *socrae* in titulo in Mommseni Inscr. r. Neap. 817.

199 17. *adhuc, non aduc.* apud Frontonem p. 205 Rom. *aduc*

scriptum est, *adhuc* habet Naberus p. 179: putaverim autem illud esse in codice. alia *adhuc* vocabuli depravatio haec fuit ut diceretur et scribeatur *adhunc*. saepius illud *adhunc* legitur in codice Institutionum Gaii, si recte memini: tum in scholiis in Ciceronem Bobiensibus p. 262 25 Or. neque *ad hunc* quod in Horatii Iambis 9 17 multi libri habent legeruntque scholiastae quicquam aliud est quam *adhuc* vulgari vitio depravatum.

XCIX. Arnobius i 45 *unus fuit e nobis qui claudos currere prae-cipiebat*: et iam processerant? *porrigere mancos manus*: et articuli mobilitates *iam ingenitas explicabant*? *captos membris assurgere*: et *iam suos referebant lectos alienis paulo ante cervicibus lati viduatos videre luminibus*: et *iam caelum diemque cernebant nullis cum oculis procreati?* ita haec conformanda esse censui. ubi posui et iam processerant scriptum erat *etiam operis res erat*, quod neque per se intelligi potest neque cum continuata sententiarum forma congruit.

C. Tertullianus ad martyras ipso libri initio *Inter carnis alimenta, benedicti martyres designati, quae vobis et communis mater ecclesia de uberibus suis et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid et a nobis quod faciat ad spiritum educandum*. ubi *communis* posui erat *domina*. Franciscus Iunius, qui *communia* ponendum esse coniecit, quominus id quod verum est adsequeretur eo impeditus est quod postea non recte legebatur *singula*.

M. HAUPT.
